

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6962

Auteur(s) : Aliénor d'Aquitaine, Angleterre (reine)

Bénéficiaire(s) : Poitiers, Saint-Hilaire (église)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1168...

Lieu d'émission : Poitiers

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Fondation d'un anniversaire, en l'église Saint-Hilaire de Poitiers, par la reine Aliénor, avec l'assentiment du roi, son seigneur, et de son fils Richard, pour leur anniversaire et pour celui de Patrice, comte de Salisbury.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLXXVIII, t. 1, p. 425-426.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 425.

Texte établi d'après a

A., regina Anglorum, et ducissa Aquitanorum et Normannorum, et comitissa Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, ballivis, prepositis, et omnibus fidelibus regis et suis tocius Aquitanie, salutem.

Sciatis dominum meum regem et me et Ricardum, filium meum, pro salute nostra et antecessorum nostrorum, et pro anima comitis Patricii, qui in nostro servicio mortuus fuit, dedisse et concessisse ecclesie Beati Hylarii omnes consuetudines quas habebamus in curte de Benacayo et pertinenciis suis, eo retento quod, pro garda et deffensione coloni illius curtis et terre, pro jugo boum arancium terram illam XII. denarios Andegavenses, pro jugo asinorum VI. denarios Andegavenses dabit. Si vero rusticus habuerit III. boves vel tres asinos vel jumentum et duos boves cum quibus aret, pro uno animali nichil dabit, eo excepto quod, si jumentum vel roncinus per se fecerit aratrum, tunc tantumdem dabit quantum et jugum boum. Pro hiis autem denariis homines illius terre liberi erunt ab omni consuetudine et talliata et cavalcata et bianco et omni exactione prepositorum et ballivorum et serviencium nostrorum, et omni submonicione eorum et districtione et justicia, eo retento quod, quando dominus Pictavensis pugnaturus exhibit, tunc tantummodo sequentur eum homines illius terre, quando videlicet submoniti fuerint a canonicis Beati Hylarii. Si illi convicti fuerint pefatam cosdumam infra octabas Beati Michaelis non reddidisse, vel alio modo forisfecisse, unde gagium nobis vel servientibus nostris debeant donare, nomine gagii non dabunt nisi VII. solidos et VI. denarios. Si vero rusticus dixerit se cosdumam recte solvisse, vel pacem ministrorum nostrorum inde habere, plano ejus sacramento credetur. De nemoribus Beati Hylarii accipient homines Beatii

Hylarii ad communem usum suum, et pacem habebunt tam in nemoribus quam in terra plana ; canonici vero habebunt nemora illa ad omnem usum suum et ad usum ecclesie, et habebunt in eis forestagium et pasnagium, et cetera omnia que antecessores eorum habebant temporibus comitum Pictavensium, ita quod neque vendent neque donabunt. Preterea ipsi canonici habebunt tantum terre illius quantum poterunt excolere tria juga boum sine omni consuetudine. Pro hac autem libertate et consuetudine a nobis concessa, canonici ecclesie Beati Hylarii singulis annis sollempniter celebrabunt nostrum anniversarium post nostrum a seculo discessum ; similiter anniversarium comitis Patricii celebrabunt. Hanc autem donacionem et concessionem inminutam et firmam precepimus teneri et conservari, et, ex voluntate et mandato domini mei regis et Ricardi filii mei, sigilli mei auctoritate communio et confirmo.

Teste Johanne episcopo Pictavensi, et Symone de Tornebu, et Hugone vicecomite Castri Ayraudi, et Radulpho de Faia, et Ricardo de Canvilla, et Saldebrolio, et Arveo panetario, et Johanne cantore Beati Hylarii, et Reginaldo magistro scholarum, et magistro Meschino priore Beate Radegundis, et magistro Bernardo, et Petro cappellano meo. Apud Pictavim.